

**DISSERTATIO**  
**INAUGURALIS MÉDICA**  
**DE**  
**PHTHISI HEPATICA**

**QUAM**  
**CONSENSU ET AUCTORITATE**  
**MAGNIFICI DOM.**  
**PRAESIDIS ET DIRECTORIS**  
**SPECTABILIS DOMINI DECANI**

**NEC NON**  
**CLARISSIMORUM DD. PROFESSORUM**

**PRO**  
**DOCTORIS MEDICINAE LAUREA RITE**

**OBTINENDA**

**IN ALMA AC CELEBERRIMA**

**REGIA**

**SCIENTIARUM UNIVERSITATE IIUNGARICA**

**PUBLICAE DISQUISITIONI**

**SUBMITTIT**

**NATHAN HORWITZ**

**GALICIANUS-BRODYENSIS.**

---

*In theses adnexas disputabitur in aedibus*  
*facultatis Medicae die Aprilis 1832.*

---

**PESTINI,**  
**TYPIS TRATTNER-KÁROLYIANIS.**

**SOCERO OPTIMO**

**DOMINO**

**N. KROCHMAL**

**VIRO**

**MORUM CANDORE, HUMANITATE AC  
PROFUNDA ERUDITIONE**

**INSIGNI**

**IN**

**PERPETUAE PIETATIS AC GRATISSIMI ANIMI  
MONUMENTUM**

**EXIGUUM HOCCE MUNUS**

**DEDICAT**

*AUCTOR.*

\*

### §. 1.

**P**hthisis hepatica nobis est cachexia, se manifestans consumptione substantiae organicae seu emaciatione universali, virium vitalium decremento, orta ex suppuratione hepatis.

### §. 2.

Hepatis vero suppuratio, funestissima hujus organi inflammationis sequela, multifaria ratione se prodit et ut plurimum tria stadia, symptomatibus pathognomonicis a se invicem distincta, percurrit, quorum primum nominamus stadium inflammatorium, secundum suppuratorium, tertium et ultimum, quod fere semper et morbo et vitae finem imponit, stadium colliquativum. —

### §. 3.

Stadium phthiseos hepaticae inflammatorium, inter praegressam hepatitidem et subsequentem suppurationem in medio locatum, phaenomena manifestat initio primae morbi formae convenientia, quae sensim sensimque evanescent, aliis locum concessura, suppurationem instantem enuntiantibus.

### §. 4.

Accusant hinc aegri ab initio dolorem plus minus acutum, pungentem in quadam regione hepatis, tactu, inspiratione, corporis laboribus adaugendum, calorem in eadem regione auctum,

urentem, medici explorantis manu percipiendum, quae omnia symptomata eo manifestiora sunt, si convexa hepatis pars adfecta est. Praeterea locus adfectus tumet, durus tangitur, totum viscus volumine augetur, percipiuntur dolores trahentes in brachio et humero dextro, non raro in pede ejusdem lateris. His accedunt flavedo totius cutis plus minus obscura praecipue vero albugineae oculi, alae narium, circa collum et pectus; lingua muco flavo oblecta, sapor amarus, adpetitus summa prostratio, ciborum praeprimis carnosorum fastidium, sitis multum aucta, sapor amarus, ructus nauseosi, vomituritiones, urina parca flavo-fusca, chartam imissam brunescente colore tingens, aliquando et talis sudor lintheamina colorans, imo et sanguis emissus crusta flava obducitur, excretio alvi segnis, faeces albae, argillaceae, febris inflammatoria ab initio vehemens paulatim mitigatur, tandem penitus remittere videtur. Decubitus in latus adfectum denegatur. Symptomatibus his, remediis non, sero, vel frustra adhibitis, benigna resolutione, criticis evacuationibus non abactis, — alia morbi scena ingruit; dolor vehemens pungens remittit quidem, non tamen penitus disparet, ingratus oritur sensus pressionis et gravedinis in hypochondrio dextro, motu corporis, concussione omni uti saltu, incessu praecipite excitandus, perstat icterus, cum digestionem summe laesa, alvo pigra, faece caprilla, urina intense fusca, turbida, durities et incrementum hepatis augetur. Ciborum aversione ad sumum gradum elata, nutritio et assimilatio omnis languet, evanescunt vires, oriuntur horripilationes vagae, inordinatae, sensus pulsationis in loco adfecto, simul respiratio difficilis redditur, accedit tussis sicca, rarius cum sputorum purulentorum interdum rubrofuscorum ejectione,

febris iterum exardescit sub specie febris suppurationis, aegro fere inscio cum frigore fugace, constantiore calore praepremis volae manuum et plantae pedum, intercurrentibus horripilationibus, pulsu accelerato duriusculo, genarum rubedine circumscripta, post partum ut plurimum exardescens, sudore profuso nocturno debilitante terminans, mane remittens, quae omnia vomitum in hepate jam formari indicant. En igitur initium stadii secundi!

### §. 5.

Notandum tamen transitum hunc inflammationis in suppurationem non semper eadem claritate observari, quin imo cum summo aegri periculo praetervideri, praepremis dum Hepatitidis chronicae est sequela, et prohi dolor! non nisi in cadaveribus detegi posse.

Aliquando enim plures vomitae parvae remanent in hepate post ejus inflammationem, evanescente febre et redeunte euphoria aegri. Tales autem vomitae per annos occultae manent, sensim augentur, depascunt jecur et tabe lenta mortem inducunt. — Non raro dolores trahentes in scapula, torpor brachii, dolores vehementes in crure lateris dextri, nullis remediis cedentes et diu pro rheumate chronico habiti, occultum abscessum suspicari sinunt, quod praepremis locum habet si pars hepatis inferior concava, venosa magis, parum sensilis, abscessu occupatur.

### §. 6.

Abscessu semel formato, alterum ingruit stadium, suppuratorium nimirum, quod sequentibus se prodit symptomatibus: dolor magis premens, obtusus, gravior redditur, omnem attactum recusans. Decubitus adeo ad latus adfectum limi-

tatur ut omne tentamen situm in oppositum latus vertendi, summam inquietudinem, anxietatem et dispnoeam fere suffocatoriam causet. Tumoris durities in nonnullis locis augetur dum in aliis mollis redditur, ita ut si vomica in parte hepatis haeret medici manui obvia manifesta percipitur fluctuatio, perstant symptomata icterica cum flavedine profundiore et urina eo obscuriore, quo altior morbus exurgit, summa ciborum aversione et siti intolerabili. Virium prostratio de die in diem augetur, febrilia vero symptomata eo obscuriora redduntur quo magis abscessus maturatur.

### §. 7.

Abscessu autem quocumque modo introrsum versus evacuato et pure maligno massae sanguinis immisto, horrendum morbi et vitae stadium ultimum colliquativum inchoat. Ictero perstante debilitas, delassatio universalis, carniū emollitio et consumptio summam adquirent gradum, facies pallido-flava, lurida, terrea fit, corrugatur cutis, nasus acuminatur, ossa omnia prominent, vox debilis et rauca redditur, appetitus adeo prostratur, ut aliquando — observante Van Svieten — inter quatuordecim dies nullum capiant cibum aegri, sitis tantalea vexat; lingua mucō sordido tecta, halitus oris foetidus redditur, ascendunt nauseosi ructus, inflatur venter tympanitide aut ascite purulento, secedunt flatus copiosi, mephitici, copiosissimae redduntur alvi evacuationes serosae, foetentes putridi adinstar, nova exardescit febris sed manifeste hectica, pulsu frequentissimo, exilissimo, inaequali, frigore mediocri, calore mordace, ab initio duos paroxysmos post prandium et ad vesp̄as celebrans, dein typum continuum acquirens, sudores no-

cturni exhaurientes augentur, tandem sub summa virium prostratione a tot miseriis nonnisi mors aegrum deliberat.

### §. 8.

Ad firmam morbi diagnosim statuendam non superfluum fore arbitror, symptomata maxime essentialia in unam colligere imaginem, quam classico calamo sequenti modo depinxit egregius phthisicorum observator Morton. (a)

„Signa hujus phthiseos diagnostica a tribus momentis petenda sunt, ab *urina* scilicet, *cut e* et *hypochondriis*.

*Urina* pauca quidem est, contentis plurimum saturata et coloris rubri et flavescentis, cerevisiae brunescens adinstar. Verum quidem est omnium phthisicorum *urinam* ob febrim esse aliquatenus rubram et paucam et ob praesentem colliquationem contentis etiam saturatam; in phthisi vero hepatica, phaenomena ista gradu multo magis intensa semper inveniuntur, et quo magis hepatis parenchyma obstruitur, atque inde copiosior sit bilis in sanguine congestio, eo semper intensiora.

Secundo. Color etiam subflavus est. Fateor quidem omnium tabidorum *cutem* in quantum marcor praevaluit a partium contractione crassescentem, nitore solito privari; verum in phthisi (hepatica) praeter pallorem et squalorem illum, vultus flavedo varia et incerta, una die plus quam altera manifesta est; praecipue vero circa *collum*, *dorsum* atque alias corporis partes *cut e* crassiore tectas non tam intensa, quam in ictero accidentali esse solet.

Tertio. Oppressio gravativa semper in *hypochondriis* sentitur cum melancholia conjuncta ab

---

(a) Phthisiologia lib. III. Cap. 13.

obstructione et mole hepatis inde aucta perveniens, quod saepissime adeo indurescit et quantitate augetur, ut inde dextrum hypochondrium non tantum multum distendi et elevari, verum etiam tumorem in illo quasi renitentem, externo etiam tactu sentiri contingat.

Phthisis ista semper est chronica et plurium annorum. Sputum etiam est magis viscidum quam copiosum, uti in omni phthisi tarda esse solet. Sicuti enim cum inappetentia et cibi fastidio ista phthisis inchoat, ita in hydropem asciticum tardum et dolorificum fere semper terminatur — cui etiam non raro haemorrhagia narium adjungi solet.

#### §. 9.

His non obstantibus, diagnosis phthisis hepaticae summis premitur difficultatibus. Hepar enim, princeps vitae plasticae organon, structuram adeo mirificam ostendit, functionibus adeo multiplicibus praest, quibus omnibus explicandis, physiologia, summa quamvis luce qua nostris diebus splendet, imparem se fateri cogitur, ita, ut illius a norma aberrationes, medicum quamvis expertissimum, omnibus scientiis imbutum saepissime fugiant, et contra non raro morbi, qui in hepate residere videntur, fomitem penitus alienum agnoscant.

#### §. 10.

Quod autem, cum summis viris, in arte medica celebratissimis contingit, quid medico tironi timendum sit facillime patet. Summam igitur cautelam non satis in hac re tum mihi ipsi, quam omnibus reliquis artis hippocraticae discipulis commendare valeo, ne in perniciem aegrorum et bonae famae detrimentum diagnosim statuamus,



cujus falsitas, aut therapiae adhibitae inexpectato effectu, aut proh dolor! nonnisi cadaveris lustratione detegitur.

§. 11.

Non raro tumor in regione hepatis pro vomica habetur, qui tamen nihil aliud est, ac cystis fellea a praegressa inflammatione hepatis ultra normam extensa, cum scilicet bilis secretio iterum ad normam procedit, ductus vero biliosi immeabiles adhuc permanent, accumulatur hinc bilis in cystide, illam extendendo, fundus vero illius ultra limbum costarum prominens, medicum abscessus specie fallit. --

Immortalis Van Swieten (a) candide fatetur se aliquando in talem errorem incidisse. Anno nimirum 1732 cadaver aperuit mulieris, quae diuturno ictero conflictata, ultimis duobus vitae mensibus nullos cibos ferre potuerat, sicque lento marasmo confecta perierat. Ante aperturam lustrans cadaver, invenit summam macilentiam, cutim flavissimam et in ilio dextro tumorem mollem, qui ab ultimo limbo costarum ad cristam ossis ilei usque pertingebat, et cum dolorem pertinacem aegra ante mortem diu in toto hypochondrio et ilio dextro habuisset, suspicatus est celebratissimus artis magister, forte vomicam hepatis ingentem hic latere posse. Verum aperto cadavere invenit ventriculum flatulenta materia distentum et tam profunde discedentem ut illius fundus tribus tantum digitis transversis distaret ab osse pubis, hepar quidem luridi coloris, durum, exsuccum scirrhis tuberculis obsitum ap-

---

(a) Gerardi van Swieten Commentaria in Hermannii Boerhave aphorismos. 935. T. III.

parebat ast nulla vomica inveniebatur. Tumor vero ille in ilio dextro apparens erat fundus vesicae felleae distentus contento liquido ad os ilium dextrum usque pertingens. Continebat vesica plus quam libram liquidi limpidi, saporis leviter subsalsi, parum subviridescentis.

Eo periculosior autem erat similis deceptio in qua Celeb. Petit (a) erat, qua vita aegri in summis angustiis fuisset, nisi sagacitas egregii hujus chirurgi aegrum salvasset. Narrat nempe cel. Petit, consilio inter plures medicos et chirurgos instituto, tumorem similem omnium votis habitum fuisse pro abscessu hepatis et ipsi traditam fuisse provinciam aperiendi hunc tumorem, verum discissis jam integumentis communibus subsidere incepit ille tumor, unde expertissimus hic vir, similium casuum antea observatorum probe memor, ab ulteriore sectione abstinuit, praedixitque brevi per alvum prodituram bilem quae in cystide fellea accumulata haeserat. Vix applicatus fuerat apparatus chirurgicus vulneri, integumentis communibus abdominis inflicto, quod aeger copiam bilis viridis alvo deposuit et intra paucos dies convaluit. — Signa diagnostica, quibus a tumore vesicae felleae distinguitur abscessus, sunt quod suppurationem comitentur dolor pulsatorius, horrores vagi et frequentiores et diuturniores, quod tumor ab abscessu factus non adeo limitatam figuram habeat, neque statim in tali tumore fluctuatio appareat et primo percipiatur in centro tumoris, omni reliquo adhuc duro.

---

(a) Mémoires de l'academie royale de chirurgie T. I. pag. 135. et Traité de maladies chirurgiennes T. I. p. 239.

## §. 12.

Subinde tumor in regione hepatis fluctuans hydatides continet et vomicam mentitur. Similem casum memoria dignissimum narrat Clar. Guattani (a) de famulo quodam Cardinalis Gonzaga, qui in regione hepatis tumorem gerebat durum, digito exploranti resistentiam offerentem, cuti concolorem, in cujus medio manifesta percipiebatur fluctuatio. Caeterum nullos adcusavit aeger dolores aut alias molestias. Dubius haerebat Guattani in diagnosi, nec ausus est tumorem aperire, hinc nonnisi congruum regimen diaeteticum aegro praescripsit, ipsi injungendo ut post aliquot tempus redeat. Elapsis vero aliquot mensibus absque omni levamine, imo cum molesto tumoris augmento, alios medicos accessit aeger quibus non melius ac Guattani successit enigma solvere. Post novem menses hinc iterum auxilium hujus praestantis Chirurgi petiit aeger.

Invenit tunc Guattani tumorem volumine multo auctum, nonnisi digitis quatuor ab umbilico distantem, ovalem, inflammatum cum manifestissima fluctuatione, non valuit tamen cum certitudine aliquid de hac re proferre, suspicatus tamen est illum tumorem brevi sponte aperturum iri. Quod revera accidit post aliquot dies sub tussi vehementi et ingens numerus hydatidum — referente aegro ultra tercentae — cum tali vi ex tumore projiciebantur, ut parietem cubiculi a lecto remotum cum explosione ferirent. Hydatides collectae magnitudine glandem musque-

---

(a) Histoire de l'academie royale de science A. 1766. und Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauche praktischer Aerzte. I. B. 2. St. p. 57.

tariam aequabantur et quod mirandum utique erat nulla earum dilacerata fuerat sed integra mansit, adeo tenax involucrum eorum erat. Specillo nunc examinando aperturam invenit Guattani bursam, in qua hydatides collectae erant, parti concavae hepatis adcretam. —

### §. 13.

Longe vero frequentior morbi pulmonum, praecipue indurationes tuberculosae et suppurationes, tam dolose sub larva phthiseos hepaticae incedunt, ut et versatissimo medico imponant, qui continuo omnibus armis absentem hostem oppugnat, quin pertinacem, dolo malo et clandestine in nobilissimo organo insidias struentem et nec suspicatum debilitare valeat. Medicorum nostri aevi Nestor, Portal in classico suo tractatu de morbis hepatis plures similes refert casus, e quibus sequens quamplurimum huc faciens memoratu dignissimus est.

Quidam juris consultus, habitus corporis teneri et irritabilis absque quacunque causa nota emaciari inceptit, et fastidio ciborum nullo modo compescendo corripiebatur. Color faciei subflavus erat, sed nec tussim, nec dolorem in pectore accusavit. De salute sua sollicitus medicum adivit, qui causam morbi in hepate residere autumans, varia ipsi ordinavit remedia, quin ullum levamen molestiarum adtulerint. In consilium vocatus Portal, abdomen exploravit et revera invenit tumorem sub costis spuris, quem in hepate residere nullo modo dubitavit. Medici ordinarii sententia hac ratione confirmata aegro ordinata sunt balnea et solventia efficacissima. His non obstantibus morbus non tantum non decrevit, quin imo semper augetur, accessit febris hectica cum diarrhoea colliquativa simul re-

spiratio difficillima reddebatur, tabe dein consumtus aeger obiit. Cum autem per totum morbi decursum nec dolor, nec tussis aut sputorum purulentorum ejectio observarentur, adeo convictus erat celeb. Portal de infallibilitate opinionis suae ut cadaveris sectionem nonnisi ex consuetudine omnia cadavera sub suo tractamine mortuorum secandi, instituerit.

Sed quam obstupuerunt omnes, hepar in statu sanissimo invenire. Totus vero morbus residebat in pulmonibus, qui ubique infarcti erant materia sic dicta hepatisante quae etiam glandulas bronchiales obstruit. Praeterea in pulmone dextro innumera inveniebantur ulcera inter se cohaerentia e quibus magna quantitas puris effluebat; pulmo hic volumine adeo augebatur ut diaphragma versus cavum abdominis protruserit, removebatur hinc hepar inferius versus et ad costas spurias tumorem mentiebatur. (a) Casum penitus similem observandi occasionem habuit auctor hujus tractatus Viennae mense Julio ad finem vergente 1830. —

#### §. 14.

Decursum phthisis hepatica utplurimum chronicum tenet, aliquando per annos protrahitur, ante quam stadium colliquativum attingit, non raro fallaci remissione aut plenaria symptomatum intermissione aegrum et medicum fallit, repentina dein vehementia recrudescens, aegrum quam saepissime jugulando. In regionibus tamen calidioribus hepatitis saepe adeo celerrime in suppurationem et colliquationem abeunt ut ad-

---

(a) Portal sur quelques maladies de foie in Memoires de l'Academie royale de science a. 1777.

monente Joanne Friderico Schwarze (a) in multis aegris in quibus pridie praeter aliquam durtiem et dolorem obtusum nec vestigium suppurationis observandum erat, die subsequenti tumor mollis et fluctuans enormem puris quantitatem fundit et nonnisi cita tumoris sectione aegri salvari possunt. —

§. 15.

Exitus plithisis hepaticae sicuti omnis morbi triplex esse potest vel in salutem, vel in alios morbos, et per hos ipsos aut alio modo mox memorando in mortem, qui exitus omnes dependent ab individui constitutione, ab abscessus magnitudine et situ, puris copia et indole et quam maxime a loco quo abscessus evacuatur. —

§. 16.

Transitus in salutem sub felicissimis tantum auspiciis sperandus tunc solum locum habere potest si abscessus minoris extensionis in parte hepatis convexa residet et per praegressam inflammationem peritoneo et ope hujus musculis abdominalibus accreverit. Hoc enim in casu arte vel sponte aperto pus evacuari et vulnus per cicatrisationem sanari potest. Attamen et hic aegri salus sub summis angustiis versatur si pus bonae caeteroquin indolis — album nimirum, aequale, leve, inodorum specillum non colorans — ast ingente quantitate hac via evacuatur. Major enim haec puris quantitas denotat hepar maximam partem jam destructum hinc functionibus suis, vitae adeo necessariis peragendis impar

---

(a) Dissertatio inaug. medica observationes quasdam continens Götting. 1787.

esse. Eo majus vero vitae minatur discrimen, si pus evacuatur conditionibus his bonae indolis carens, et potius flavum, fuscum, lividum, saniosum, verbo amurcosum (a) ichor prodit, tunc enim sensim exeditur jecur et consummitur aeger feбри colliquativa. —

### §. 17.

Verum talis accretio in omni ambitu, quo peritoneum hepatis contiguum est, poterit fieri, et tamen in quovis loco non aequè facilis manui chirurgi aditus datur. Si enim peritoneo concavam partem diaphragmatis investienti accreverit gibba hepatis pars, poterit pus collectum in hepate, in cavum pectoris venire, imo in ipsum pulmonem, et per sputa purulenta ejici; uti in cadavere hominis, a suppuratione hepatis mortui observavit Stalpart van der Wiel (b). Mirabatur enim sputa purulenta eduxisse hominem, dum nulla essent pulmonis adfecti indicia, sed omnia signa docerent hepar aegrotare. Post mortem vidit, vomitum hepatis adcrevisse diaphragmati in latere dextro, et pulmonem pariter in eodem loco diaphragmati adhaesisse, sicque pus ex hepate

(a) Vocabulum *αμύργη* saepissime apud Hippocratem invenitur, et significat secundum vocabularium Erotiani, qui plures dictiones Hippocratis collegit et explicuit, faecem nigricantem et snbpinguem, quae in oleo olivarum expresso subsidet. Hinc aphorismus ille „Quibus hepate inusto velut amurca exit, lethale. — Vide idem vocabulum apud incomparabilem Kraus, qui similitudinem inter illud et saxo — germanicum *Murkje* eandem significationem habens invenit.

(b) Observat. rar. Cent. 1. 46. p. 202.

in pulmonem venerat et per sputa educebatur. Fatale hoc connubium phthiseos hepaticae cum phthisi pulmonali semper lethale est.

Aduccuntur tamen exempla, qua hilariores exceptiones regulae hujus tristissimae, ubi malum gravissimum modo solis naturae viribus, modo arte foederata opitulante superatum est.

Hujus loci est casus summe memorabilis quem Lud. Josephus Schmidmann (a) adducit sub titulo inflammationis et suppurationis hepatis expectoratione judicatarum. Similis observatio legitur apud Bajon' (b), Inflammationi hepatis nimirum per decem dies duranti supervenit suppuratio, cujus sedes haud indaganda erat; post aliquod tempus subito accedit expectoratio purulenta, ex qua aeger melius se habuit, atque tumor, dolores, febrisque disparuerunt et post sex hebdomadas sputa quoque desinebant ita, ut aegrotus perfecte nunc convaluisse videbatur. Sed post trimestre spatium, febris atque dolor in hepate recrudesce, ac brevi post oriebatur diarrhoea purulenta, quae per sex septimanas pergens, tandem sponte cessabat. Quo facto hic homo semper usus est optima valetudine. In casu hoc mirifico sane, pus ex hepate per diaphragma exesum ad pulmonem et dein ad canalem intestinalem venisse videtur.

Similem casum refert Dr. Müller. (c)

### §. 18.

Sed duplici modo phthisis pulmonalis ex abscessibus hepatis oriri potest, nimirum vel per simpli-

(a) Summa observationum medicarum ex praxi clinica triginta annorum de promptarum. Vol. 2. pag. 249—252.

(b) Memoires pour servir à l'histoire de Cayenne et de Gujane française Par. 1777.

(c) Hufelands Journal 8. B. 2. Heft. p. 110.



cem metastasin puris absorpti ad pulmones quod docente Sam. Gotl. Vogel (a) plures confirmant observationes, aut si jam antea tubercula pulmones obsiderent, nunc autem per dyscrasiam sanguinis purulentam, irritentur, inflammentur et in exulcerationem abeant. In priori casu aliquando symptomata suppurationis in hepate una cum dolore et febre disparent, aegro per tussim pus ejiciente. Accedit tunc non raro, quod evacuato hac via omni pure sanitas redeat, ita ut pulmo a pure in eo deposito non adficiatur. —

Plenciz in suis observationibus casum refert, ubi aeger sub omnibus signis phthiseos pulmonalis mortuus est. Sectio vero cadaveris nullam labem pulmonum sed magnam abscessum hepatis ostendebat, nulla autem detegenda erat via, qua pus ex hepate ad cavum pectoris et pulmonem venit. Ergo vera metastasis! —

#### §. 19.

Longe funestior est exitus phthiseos hepaticae si in vomica clausa, pus diutius collectum manet, degenerat, tenuius, acre redditur, latius per parenchyma hepatis serpit, organon tabe lenta icterica consummit, atque pure resorpto, massaeque sanguinis adducto febris hectica cum foedo colliquationis spectaculo generatur, quo siti intolerabili, debilitate summa anxietate inexplicabili, urina fere nigra, tympanitide, fluore alvi sanioso, foetidissimo diu luctans moritur aeger. —

#### §. 20.

Fit etiam non raro, ut vomica rupta effuderit suam materiam in cavum abdominis, col-

(a) Handbuch der praktischen Arzneiwissenschaft. Stendal 1796. 4 Th. S. 362.

lecto ibi puri, assiduo novum addat. Exsudatione hac puris ut plurimum corrupti, saniosi organa abdominalia inflammantur, in gangraenam abeunt, aut ascites purulentus generatur, quibus omnibus post tabem lentam terribiliaque illius symptomata insuperabilis mors inducitur.

### §. 21.

Quoties vero suppurata materies ichorosa, exisis finibus meatuum biliosorum, in horum amplitudinem indeque in intestina fluxerit, — quod et per concretionem vomicae cum aliquo intestino, hocque per saniem acrem exeso fieri poterit — aut ad ventriculum defertur, tunc pro varietate affectae viae, vomitus foetidos putrefactos, purulentos, ichorosos, albi, cinerei, fuscii flavi, nigri coloris vel similes alvi evacuationes sub nomine fluxus hepatici (a) notas producet quae evacuationes sub suma virium jactura brevi lethales sunt. — Adducuntur tamen exempla hujus exitus feliciora, ita refert Garnett (b) se vidisse talem casum, ubi sex librae puris cruenti foetidissimi per alvum secesserunt, quo facto tumor in hepate imminuebatur et aeger post aliquot septimanas sub alvo frequentiore, sanitati restitutus est.

### §. 22.

Praeterea aliquando pus in hepate collectum modo revera mirifico, et subinde inexplicabile

---

(a) *Celeb. Berends* hunc fluxum hepaticum spurium nominat, sub quo non verum pus, sed potius amurca cruenta fluit, et negat viam puris per vasa biliosa ad intestina, sed solam perforationem intestini per pus acre admittit.

(b) *Duncans medizinische Commentarien. vol. III.*

viam sibi pandit. Ita e. g. observati sunt casus in quibus per umbilicum se effundebat, aut ad organa vicinia delatum est.

Bajon (a) casum refert, ubi pus ex hepate ad crus deferebatur, orta est tunc in plaga cruris fluctuatio et tumore aperto sanies biliosa foetida effluebat. Post mortem optime via demonstrari potuit qua per decursum peritonaei ex hepate pus ad illam plagam veniebat, hepar vero totum sanie consumptum erat. Eadem ratione pus migrat ad musculos abdominis, lumbi, fistulas ibidem formando.

### §. 23.

Inter exitus phthisis hepaticae memorari adhuc merentur metastases variae puris resorpti ad loca remota in nullo nexu cum hepate existentia, et vario quidem eventu, pro diversitate partis quam occupat. Metastasim ad parotidem Hippocrates meminet, non multum tamen boni inde sperandum esse ex sequenti loco patet. „Ex hypochondrio diuturno, abscessus circa aurem occidit“ (b). Per urinas autem quandoque exire posse Aretaeus monuit dicens: si vero ad interiora repat abscessus, longe medico natura praestat; aut enim ad intestina, aut ad vesicam pus convertet, verum multo innocentior ad vesicam est via „Et postea subjungit“ optimum vero est per urinas crisin fieri, securior enim et minus noxia est haec puris via.

Casum ubi pus per urinas evacuatum est bono cum successu refert etiam Adinolfi. (c)

---

(a) Opus cit. T. II.

(b) Coac. praenot. Nro 293 Charter. T. VIII. p. 868.

(c) Nova acta Nat. Curiosor. T. III.

## §. 21.

Aetiologia phthisis hepaticae satis patet. Omnia quae ad hepatitisem disponunt et illam excitant, simul futurae suppurationis germina ponunt. Quo magis autem hepatitis phlegmonosae inflammationis indolem prae se tulerit, quo gravior causa excitans fuerit et quo magis homines juniores, sanguinolentos, cholericos cum febris inflammatoria valida invaserit et si simul morbus neglectus, aut plane perverse tractatus fuerit, eo major etiam dispositio ad suppurationem erit. Praeterea ad causas disponentes numerantur labes quaecunque chronica hepatis uti stases, adfectiones spasticae, calculi biliosi, polycholia chronica et ut cum clarissimo Sundelin (a) loquar illa degeneratio structurae et texturae parenchymatis hepatis quae sub nomine textuum accidentalium neotericis pathologis veniunt, haec enim degeneratio quam maxime in causa est, ut inflammatio non resolvatur et suppuratio organon destruens oriatur. (b) Sunt praeterea

- 
- (a) Erster Supplementarband zu Berends Lehrbuch der praktischen Arzneiwissenschaft S. 217 etc.
- (b) Textus accidentales (Tissus accidentales, (Aftergewebe) sunt producta nisus plastici vitii, quae carent textura illa subtiliore, fibrosa textui celluloso normali conveniente, et structuram magis homogeneam crassiorem ostendunt, indolem vero organicam per majorem vel minorem vasorum copiam manifestant. Ili textus, organa nobilissima praecipue pulmones, hepar obsident, horum structuram, formam et functionem alterant, textum sanum loco movent, inamabilem reddunt, tandem penitus destruunt. Genesis eorum valde obscura est et modo cito, modo

casus ubi citra omnem inflammationem et absque hepatis vitio, suppuratio et phthisis hepatica oritur, quod praeprimis sub gravioribus capitis laesionibus locum habere solet, uti extra omnem dubitationis aleam ponunt observationes clarissimorum virorum Pouteau, (a) Cheston et Michaelis. (b) Inter multas hypotheses circa hanc rem prolatas Richteri opinio maxime arridet, qui causam suppurationis ponit in acrimoniam biliosam. „Notum est, dicit immortalis hic Nosographus, concussiones capitis semper cum effusione bilis circa praecordia sociatas esse. Chirurgus autem qui nonnisi laesionem traumaticam respicit, hanc ultimam facile praetervidet, acrimoniam vero biliosam hepatitidem mox in suppurationem transgressuram excitare posse facile intelligitur.

§. 25.

Prognosin in Phthisi hepatica non aliam nisi tristissimam statuere valemus, cum omnis phthisis mortem fere inevitabilem involvat. Phthisim hepaticam, quamvis non adeo cito ac phthisis

---

lentissime evolvuntur, si autem certum terminum adtigerunt mirabilem patiuntur cohaesionis alienationem, quam processum emollitionis et liquidationis nominant. Distinguunt; textum accidentalem tuberculosum, scirrhosum et carcinomatosum seu melanodes, t. accid. medullaris encephaloide gall. Qui plura de hac re legere volunt, adeant opera Baillie, Bichat, Meckel, etc.

(a) Oeuvres posthumes T. I. Paris 1783.

(b) Wahrnehmungen vom Staats-Medicus Dr. Michael in Richters Chirurg. Bibliothek B. G. S. 632.

pulmonalis, tamen non minus secure victimas suas jugulare, jam ex eo patet quod hic rarissime bonum pus generetur, ob summam indolem venosam sanguinis hepatici, ob molliorem, spongiosam, friabilem structuram organi aegrotantis. Accedit ad haec, quod inter diversos exitus supurationis hepaticae unicus ad salutem viam sternat (§. 15.) et tunc spem inter angustissimos cancellos limitari. Caeterum futura sors aegri dependet a dispositione in morbos hepaticos organismo plus minus impacta, ab habitu bilioso magis minusve eminente et quod magni momenti est ab aegri aetate, quo provector enim individui aetas eo funestior semper exitus timendus.

§. 26.

In cadaveribus phthisi hepatica mortuorum aliquando ex ore et naribus foetidissimam saniosam materiem profluere variis observaverunt, pulmones magis minusve destructi inveniuntur, diaphragma aliquando exesum, ventriculus ut plurimum distentus, emollitus, hepar variis locis infarctum, textibus accidentalibus obsitum reperitur, vomica una aut pluribus raro inter se cohaerentibus destructum. Omnes autem vomicae semper lobum dextrum occupant. Inter centum abscessus hepatis Clark unum in lobo invenit et tribus tantum vicibus in cadaveribus mulierum. — Pus in abscessibus fere semper saniosum, luridum, coloris hepatici animadvertitur, odoris specifici nauseosi, foetidissimi. — Aliquando tota substantia hepatis in saniem conversa deprehenditur, superstite sola membrana externa, saccum cavum referente, qualia plura

exempla recenset Bianchi (a) et quod Clariss. Sundelin in Clinico Berolinensi observavit. (b) Caeterum pro varia via qua pus evacuatur, et pro vario morbo secundario, diversa etiam autopsia cadaveris demonstrabit.

§. 27.

Therapiam pro vario morbi stadio variare per se patet. In stadio inflammatorio omni molimine futurae suppurationi per therapiam anti-phlogisticam occurrendum erit, hinc si febris adhuc characterem inflammatorium retinet, vigente simul inflammatione locali depletiones sanguinis tam universales quam locales indicantur, febris vero mitigata perstante autem statu inflammatorio hepatis sufficiet applicatio hirudinum ad anum (c).

---

(a) *Historia hepatis Turin. 1716.*

(b) *Opus citatum p. 217.*

(c) Celeberrimus Franciscus ab Hildenbrand, in Universitate Vindobonensi praxeos medicae praeceptor, ad cineres usque mihi colendus occasione hepatitidis auditores suos semper monet ne unquam in inflammatione hepatis phlegmonosa, ni simul pars peritoneae hepar investiens inflammata sit, hirudines ad regionem hepatis adplicent, ob nullam communicationem vasorum integumentorum communium abdominis cum systemate sanguifero hepatis. Adplicatio vero ad anum eo praestat, quia detracto sanguine vasis haemorrhoidalibus, cum systemate venae portae adeo intime communicantibus, ipsi hepatis copia sanguinis, inflammationem sustinens detrahitur, et revera semper hanc adplicationem levamen conspicuum et citum insequi vidimus. Tali

Indicantur praeterea omnia, quae blande solvunt, humores diluunt et evacuant, sanguinis plasticitatem imminuunt, stases quae fere semper esse solent, et resolutionem inflammationis retinent, abigunt. Hinc Decocta solventia ex radicibus Graminis, Taraxaci, Cichorei, Saponariae et similia in connubio cum praestante Sale ammoniaco aut eccoprotico quodam, praeterea Cataplasmata emollientia calida, inunctiones plagae adfectae cum unguento mercuriali mitiore. Febri abacta, dolore vero magis obtuso redacto, tumore et duritie simul auctis ad solventia efficaciora et velut ad sacram ancoram ad mercurialia confugimus, praestant vero doses quidquam generosiores Murialis hydrargyri mitis ad granum unum pro singula dosi, ter quater, sex de die repetenda, vel solus aut in conubio cum digitali purpurea si simul erethismus in systemate sanguifero compe-scendus sit.

His simul interponantur Dta solventia nominata, Extracta solventia, saponnes medicati, et ad salivationem praecavendam juvabit pro tempore calomelae antimonialia substituere inter quae sulfur auratum antimonii et Kermes mineralis eminent.

---

occasione ingeniosus hic vir sveta sua sagacitate et eloquentia disserere solet de locis in quibus hirudines in aliis morbis inflammatoriis cum fructu adhibendae sunt, ita e. g. in Enteritide quoque ad anum, in ophthalmiis et adfectionibus cephalicis non uti solent ad partes superiores capitis sed potius retro aures adplicationem sanguisugarum commendat, quia evacuatis emissariis Santorini, vasa ophthalmiae et cephalica cum iis cohaerentia necessario evacuari debent.



Absint vero omnia mercurialia, dum textum accidentalem in hepate generari suspicari licet, tunc enim hydrargyraceis destructionis processus promovetur. Magis tum indicantur remedia cum stimulo acriori solventia uti Chelidonium majus, stipites dulcamarae conium, maculatum, digitalis purpurea, Belladonna formis et dosibus convenientibus.

### §. 28.

Quamprimum vero stadium suppuratorium signis suis se manifestat et simul indicia adsunt apostema in convexa hepatis parte residere, tunc omni studio eo adlaborandum erit, ut abscessus integumentis communibus abdominis adproximetur, illis ad crescat et vel sponte vel arte aperiatur.

Simul vero indicatio oritur, bonam puris indolem promovere, blandam humorum temperiem conservare, nutritionem et requisitum energiae gradum in systemate vasorum sustentare. Primae indicationi satisfit, si aeger continuo situm in latus adfectum tenet, si apostema fotu continuo cataplasmatum emollientium et simul irritantium, et suadente Richtero adplicatione emplastri alicujus irritantis aut cucurbitarum siccarum ad maturitatem perducitur, quamprimum vero fluctuatio percipitur absque mora tumor secundum regulas artis chirurgicae aperiendus erit, quo citius autem hoc fit, eo melius. — Operatione peracta, aeger adhuc per aliquod tempus situm in latus adfectum conservet, necesse est, ut facilius sit exitus puri effluenti, ipsum ulcus omni cura purum servandum erit, repetitis injectionibus fluidi adstringentis, antiseptici v. e. ex Infuso florae Chamomillae, Decocto Chinae cum Tinctura Myrr-

hae, aut aqua Calcis, atque hac ratione ad cicatrizationem perducitur.

Altera vero indicatio strenuo jubet ammotionem omnium antiphlogisticorum et solventium, humorum dissolutionem promoventium, e contra vero omnia illa postulat, quae nisum plasticum intendunt, corpori vivo robur vitale addunt, coagulabilitatem materierum promovent, dissolutionem et putredinem arcent, hinc victus sit eupeptus digestu facilis, uti carnes albae molliores non pingues, ova sorbilia, Decocta Hordei, Salep, Sago, Oryzae, Malthi, serum lactis, potulenta acidula.

Ex remediorum penu huc referuntur, Polygala amara, radix Gentianae, Quassia, Colombo, Lichen et omnium maxime divinus peruvianus Cortex. Sunt etiam qui Myrrham valde commendant nec non alia ferulacea. Ex praeparatis Myrrhae vel Extractum illius aquosum vel mixturam Griffithi (a) quae sequenti modo praescribitur;

R. Myrrhae electae *drachmam unam*

Kali carbonici *depurati drach. semis*

Ferri sulfurici crystallini *grana duodec.*

Aquae foeniculi *uncias octo.*

Solv. S. Per nyctemeron consum. —

commendatur.

Si phthisi hepaticae polycholia subest in hoc stadio praeprimis conveniunt Serum lactis cum cremore Tartari paratum, ipsum acidum tartri-

---

(a) Moses Griffiths praktische Bemerkungen über die Heilung der hektischen und schleichenden Fieber etc. im Auszuge aus dem Englischen übersetzt in Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauche praktischer Aerzte. G. B. 4. Stück. S. 580.

cum, acidum phosph. Aqua chlorata et recentissimo tempore pediluvia acido nitrico impraegnata. Scott primus haec pediluvia contra morbos hepaticos commendabat, Lavagna (a) autem cum optimo effectu in phthisi hepatica.

Recipiuntur nimirum ab initio acidi nitrici partes tres, acidi muriatici puri pars una, serius ex utroque acido anatica summuntur partes. Ab hac miscela tantum additur aquae pediluvii, ut saporem aceti debilis nanciscatur. Alternis diebus adplicantur et per horam semis aut integram aeger in eodem manet. Quam primum erosionem aut reactionem universalem efficiunt per aliquot dies non adplicantur. Lavagna simul exhibet purgans ex cremore Tartari, omni quarta die. Percipiunt aegri, dum in balneo morantur, molestum pruritus sensum, et peculiarem nisum in somnum, non raro lipothymia insequitur, quamprimum hinc aeger delassatum se sentit ad lectum transferatur in situ commodo. In genere saluberrimam ostendunt virtutem, nisi quod in individuis debilioribus praepremis ab initio dispnoeam et cardiopalmum inducant, quae phaenomena post aliquot horas salivatione terminantur.

### §. 29.

Si autem extrorsum versus puri non concedatur exitus ars naturam nonnisi sustentare valet efficiendo omnia illa quae in § praecedente sub indicatione secunda dicta sunt.

### §. 30.

Stadio vero colliquativo semel oborto, morbus nullam medelam, vix palliativam admittit.

---

(a) Froriep's Notizen Nro 271. Feb. 1826. p. 105. et Sundeliu opus etc. p. 227.

Cum autem in morbis incurabilibus medici adhuc illud officium superest, ut mitigando symptomata maxime vexantia, quod adhuc supersunt dies tolerabiles saltem reddat, hinc nec in hoc deplorabundo statu miserum aegrotum relinquet, et ut vitae scintillam foveat et sustineat continuabit in adhibendis cardiacis, roborantibus exquisitis, vino generoso, acidis mineralibus dilutis, quorum virtus antiseptica dudum confirmata est, sitim preaterea tantaleam sufficiente potu acidulo fallat, tussim siccam, agrypniam, inquietudinem paragoricis sedabit, sudores et evacuationes colliquativas suis modis arcebit.

### §. 31.

Mestastases ad varia loca et morbi secundarii inde orti mortem ut plurimum inducentes tractamen sibi poscunt a praegressis non alienum. Proposita in ascitide purulento paracentesis abdominis, aegri miserias non nisi auget.

### §. 32.

In rarissimo illo casu, ubi naturae et arti foederatis restitutio aegri in integrum successit, cura reconvalescentiae — nisi vitium quoddam organicum v. g. fistula hepatis, suo modo tractanda supersit — absolvetur victu nutriente digestu facili, roborantibus amaris indigenis alvum simul reserantibus, moderato corporis exercitio, rusticatione, animi pathematum absentia, mente hilari, serena, curis vacua.

---

# T H E S E S.

## I.

Omnis medicina morbo major nocet. (Val. ab Hildenbrand.)

## II.

Medicina morbo minor non semper nocet.

## III.

Absque vi naturae medicatrice nullo pacto medicus esse velim.

## IV.

Non omnia sunt vera quae in medicorum fastis narrantur.

## V.

Valet auctoritas in medicina.

## VI.

Nullum datur systema medicum, quod non aliquam utilitatem generi humano adtulisset.

## VII.

Duplex est contagium venereum, alterum blenorrhoeam, alterum ulcus generans.

## VIII.

Syphilis autem universalis nunquam ex blenorrhoea urethrali.

## IX.

Hydrargyrum syphilidem virtute sua anti-phlogistica sanat.

## X.

Digitalis purpurea praestans anti-phlogisticum.

**XI.**

**Dantur morbi locales.**

**XII.**

**Saluti hominis adulti, vitam non adeo laboriosam degentis, valde conducit semel tantum per nyctemeron comedisse.**

**XIII.**

**Hepar pulmo abdominis.**

**XIV.**

**Haemorrhoidarii germina omnium fere morborum, vitam plasticam adficientium, in se recondunt.**

**XV.**

**Potus Coffeae moderate sumtus, inter vitae delicias innocuas referri meretur.**

